

ii qui ex divina institutione Ecclesiae regimen constituunt, et idcirco Ecclesiam universam iuridice repraesentant. Quare abstinere quidem potest Pontifex a concilio oecumenico evocando, si tamen illud evocare vult, debet Episcopos omnes convocare. Omnes inquam, ut oecumenicum sit; et ceteroquin par est in unoquoque ius ad illud. Id constans Ecclesiae praxis confirmavit. Si tamen Pontifex aliquos etiam sine causa praetermitteret aut reiiceret, non videretur ex eo oecumenicitas Concilii quoad essentiam deficere, sed tantum quoad accidentale quoddam, seu quoad integritatem: adhuc enim moraliter tota Ecclesia repraesentaretur.

Ex privilegio Romani Pontificis et consuetudine eius auctoritate inducta, vocantur quoque ad Concilium cum iure suffragii decisivi Cardinales, quippe qui consilio et industria sua iuvant Romanum Pontificem in regimine totius Ecclesiae, ac praeterea Abbates et Generales Ordinum, qui Episcopalis iurisdictionis participationem obtinent. Cf. Bellarminum De Conciliis L. I, c. 15.

THESIS XXX.

Praerogativa omnis Romanae Sedis est in ipsa persona Romani Pontificis tanquam in subiecto: ideoque eae verissime dicuntur personales, eadem singulis ex aequo successoribus Petri competunt. Quare licet non uno ex capite fas sit distinguere inter sedem et sedentem, attamen reiicienda est prorsus ut falsa et absurda distinctio huiusmodi eo spectans ut praerogativae et iura sedis alia sint a praerogativis et iuribus sedentium, atque gaudeat quidem Sedes Romana sive tota series successionis privilegio indefectibilitatis, vel infallibilitatis in fide, non autem singillatim quilibet successor Petri.

Nota distinctionem inter Sedem et sedentem adhiberi posse quoad omnem iurisdictionem, omniaque iura Primatus; excogitam tamen esse in quaestione de infallibilitate, et idcirco de ea nos heic loqui: quae tamen occasione huius quaestionis dicimus, facile ceteris praerogativis Primatus aptari possunt.

I. Constat rationem multipliciter distinguere posse inter *Sedem* et *Sedentem*. Sane Sedes sive cathedra sive thronus sunt *materialiter* locus ille in quo quisque sedet, et speciatim in quo sedet qui auctoritatem habet: unde Sedes signum est auctoritatis: ideoque metaphorice sumitur Sedes pro re signata, ut ipsam auctoritatem significet. Cum autem hoc sensu accipitur, accipitur *formaliter*. Iam vero in persona Pontificis duo distingui possunt et debent, nempe tum ipsa persona, quae per se privata est, tum auctoritas pontificalis. Porro

si haec duo ita ratione distincta seorsim consideres, et dein invicem compares, habes quod auctoritas 1) est perpetua; semper enim ex lege institutionis Primatus perseverare debet: 2) una est proinde eademque semper: 3) ea ante singulos successores existit: 4) ea alicui determinatae Ecclesiae est annexa, nimirum Romanae, quatenus in hac esse debet, et exinde in alias quoque Ecclesias exerceri. E contrario persona transit, pluresque sunt huiusmodi personae, singulique successores recentiores sunt ea auctoritate, quam ex se ipsis non habent, sed assequuntur; et ideo spectant ad Ecclesiam Romanam, quia ad illam assumuntur. Cum ergo Sedes sit symbolum auctoritatis, eadem distinctio fieri potest inter Sedem et sedentem. Sedes enim materialiter spectata potest concipi ut perpetuo durans, et formaliter spectata, prout nempe est auctoritas durare semper debet: Sedes ergo perpetua est: sedentes vero h. e. personae transeunt. Hinc Sedes est una, personae plures: Sedes ante sedentes successores existit, Romanaeque Ecclesiae semper inhaeret; personae singulae succedentes ad eam assumuntur. Sedes tandem perpetua et una complectitur totam seriem Pontificum: singuli sedentes non sunt nisi pars huius collectionis. Multiplex ergo potest excogitari distinctio inter Sedem et sedentem; dicitur potest cum Leone (epist. LXX) aliud esse Sedes, aliud praesidentes, nimirum aliud esse auctoritatem quae in aliqua Ecclesia vigere debet, aliud esse personas quae eam auctoritatem obtinent: nec per merita aut demerita personalia augeri aut minui iura sedis, seu amplitudinem eius auctoritatis.

Verum cuiusmodi est haec distinctio? Dicimus quod si nomine Sedis intelligatur tota series sedentium, distinctio inter Sedem et sedentes singulos est realis inadaequata: si vero nomine Sedis intelligatur auctoritas ipsa pontificalis, vel subiectum, sed in confuso, eiusdem, distinctio est tantum rationis; unumque est reale subiectum quod est Sedes et sedens: sive auctoritas non nisi in ea persona, quae sedere dicitur, reperitur tanquam in subiecto. Vitiosa scilicet et falsa est omnis distinctio inter Sedem et sedentem, cum de auctoritate sermo est, quae ita secernit utrumque, ut aliud subiectum auctoritatis constituat praeter personam ipsam Romani Episcopi. Et licet singuli sedentes distinguantur realiter inadaequate a tota collectione, distinctio tamen haec afficit personas seu materiam non formam seu auctoritatem: quoad hanc enim, cum ipsa eadem semper sit, par est unus omnibus. Utrumque modo probandum est contra eos, qui ea distinctione inter Sedem et sedentem inepte abusi sunt: quae quidem distinctio, quamvis occasione quaestionis de infallibilitate sit producta in medium, potest tamen ut diximus adhiberi pro quacumque praerogativa Romani Pontificis: quare et nos generalius disputabimus.

II. Itaque 1) subiectum omnis praerogativae Romanae Sedis esse ipsam personam Pontificis manifestum est. Sane subiectum potestatis Primatus debet esse persona; ea primum non fuit nisi Petrus unusque Petrus inter Apostolos: post Petrum vero non possunt esse nisi successores eius qui singuli esse debent ut unus tantum sit semper in Ecclesia qui Petrum repraesentet. Et re quidem vera de fide est Romanum Pontificem successorem esse b. Petri, illique in b. Petro plenam potestatem pascendi regendique traditam esse. Non est ergo alia persona praeter eum qui est Romanus Pontifex, qui habeat potestatem universam Petri, sive Primatum: Romanus autem Episcopus una est persona non quidam personarum coetus; quemadmodum una persona fuit Petrus, primus in serie Pontificum Romanorum. Extra personam igitur Romani Pontificis ineptum est quaerere subiectum potestatis Primatus. Ergo praerogativa omnis Primatus, ideoque et infallibilitas, est personalis; h. e. ipsa persona Romani Pontificis ipsaque sola est subiectum ideoque adaequatum Primatus.

Errant ergo qui cum Launoio (Cf. Tournely De Ecclesia p. 2. pag. 71. ed. cit. Charlas De Libert. Eccl. gallic. L. VII. c. 3) contra auctoritatem testimoniorum quae ex traditione afferuntur pro asserenda infallibilitate Romani Pontificis, excipiunt iis testimoniis affirmari infallibilem Romanam Sedem, non Romanum Pontificem. Nam cum Romana Sedes affirmatur subiectum infallibilitatis, supponitur pro Romano Pontifice; ipse enim unus subiectum est potestatis cuiusque et praerogativae Sedis Romanae. Et sane Patres cum de auctoritate, et infallibilitate loquuntur, pro uno eodemque subiecto habent Sedem Romanam et sedentem in ea. Ita Hieronymus ad Damasum « Ego *beatitudini tuae* (quo titulo persona designatur) *idest cathedrae Petri* communionem consocior ». Maximus Martyr. I. epist. ad Petrum illustrem) « imploret sanctissimae Romanorum Ecclesiae beatissimum *Papam idest Apostolicam Sedem* ». Unde Sergius Cypriensis Episcopus in literis ad Papam Theodorum ait: « Firmamentum divinitus fixum et immobile tuam *Apostolicam Sedem* constituit Christus. *Tu enim existis Petrus*, et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt ». Hinc cum Augustino (Psalm. contra Partem Donati) frequens est Patribus affirmare Sedem Apostolicam esse *Petram* eam, quam non vincunt superbae inferorum portae: porro ea Petra ipsa est persona Petri (Th. I.) et cuiuscumque sui successoris. Unde et Cyprianus perinde habet Petri cathedram Romanumque Episcopum, ait enim epist. LV. schismaticos ausos esse *litteras ferre ad Cathedram Petri*, utique ad sedentem in ea. Quare communis est sententia quam S. Petrus Damiani expressit alloquens Electum Ildebrandum (in apologetica

ob dimissum episcopatum. c. 1) « vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia ».

III. Cur ergo dicitur *manere Sedes* defuncto sedente? Respondeo manere quidem Sedem sed *vacantem*, quae formula hoc ipsum significat deesse nempe subiectum auctoritatis Sedis. Quid ergo manet? Manet auctoritas Apostolica 1) in effectu, seu manet efficacia auctoritatis praecedentium Pontificum quatenus eorum legibus etiam tum regitur Ecclesia, et singulae Ecclesiae gubernantur ea episcopali potestate, quae derivata est a Pontificibus praecedentibus: manet 2) auctoritas Apostolica non quidem actu, sed potestate et exigentia divinae institutionis; manet nimirum lex et necessitas successionis Petri in Primatu, et quidem affixae Ecclesiae Romanae: ideoque eidem necessariae auctoritati subordinatur adhuc universa Ecclesia. (Cf. dicta in Th. XIX, II, 2^o)

Errant quoque qui cum eodem Launoio contra eandem auctoritatem Patrum excipiunt testimonia Patrum loqui frequenter non de Romano Pontifice, sed de *Romana Ecclesia*; ac si cum de auctoritate sermo est, aliud sit quod per Pontificem, aliud quod per eius Ecclesiam repraesentatur. Verum omnibus notum est omnem auctoritatem Ecclesiae in Episcopo esse et ab Episcopo in inferiores derivari: Episcopus enim, teste Ignatio ad Trallianos, in Ecclesia est sicut Iesus Christus; et doctrina Ecclesiae est doctrina Cathedrae a qua docetur Ecclesia, h. e. doctrina Pastoris et Episcopi. Unde si Ecclesia Romana infallibilis est, oportet ut propter Episcopum suum sit infallibilis, ideoque necesse est ipsum Pontificem a se esse infallibilem.

Coroll. Ergo sibi misere illudunt qui arbitrantur se posse adhaerere Romanae Sedi Romanaeque Ecclesiae, cum Pontifici resistunt.

IV. Nunc 2^o alterum probandum est, singulos nempe Pontifices esse infallibiles. Bossuet (Defens. L. X. c.5) docet quod quamvis quidam Pontifices non praedicent veram fidem, sed errent in ipsa fides tamen Romanae Sedis invariabilis manet. Nam defectum unius vel ipse idem, vel successor eius reparabit. Considerari ergo vult *totam successionem Romanorum Pontificum* veluti simul constituentem personam Petri, cuius fides nunquam ex toto deficiet. Haec fides nutare potest, et identidem in aliquo deficere, quemadmodum, ut ipse ait, defecit in Petro negante Christum; sed paulo post redintegrabitur, ita ut error in hac successione radices agere non possit. Itaque tota series est indefectibilis in fide, non vero quisque ex successoribus. *Infallibilis auctoritas* (ait Card. de Luzerne Parte II, c. 2) ea est quae nunquam, vel uno momento errare potest in decisionibus fidei. Indefectibilitas fidei in eo consistit quod fides ex toto perire non

possit; sed si aliquo tempore deficit, prompte restituatur: ita ut si aliquis Papa profiteatur aut doceat errorem, paulo post vel ab ipso vel a suo successore error corrigatur. Verum cuiusmodi est haec indefectibilitas? est ne proprie infallibilitas? qui infallibilitatis privilegium soli universitati vel Concilio vindicant, ut Bossuet, docere quoque debent indefectibilitatem huiusmodi Romanae Sedis in eo esse ut fidem indeficienter teneat, quam Ecclesia docet; non docendo proinde, sed discendo: infallibilitatem nempe eius esse passivam tantum non activam, ut ait Tournely loco citato. Verum quidam videntur indefectibilitatem activam intelligere; et qui, ut modo dicebamus, concedunt infallibilem Sedem, non Sedentem, alieni forte non erunt ab hac interpretatione (cf. Mourray De Ecclesia Disp. XX Sect. 3. §. 3). Recolendum est enim huiusmodi distinctiones ex causa polemica profectas esse, ac fuisse excogitatas ab his omnibus ut Romanorum argumentis occurrerent, et idcirco iuxta necessitatem fuisse temperatas.

Atqui Romanae Sedi non sola indefectibilitas, qualem a Gallicanis conceptam modo descripsimus, sed infallibilitas eaque a se asserenda est, et non soli seriei universae, sed singulis ex aequo Romanis Pontificibus. Porro hoc unum tantum probandum restat: primum enim iam abunde probatum est. Iam vero hypothesis haec gallicana nullo Scripturae aut Traditionis fundamento innititur; imo iisdem aperte adversatur. Sane ex Scriptura et Traditione docemur Primatum Petri perpetuum esse, iura proinde Petri et praerogativas perpetuas esse; perpetuum vero esse Primatum Petri per continuos successores suos, quemlibet autem Romanum Pontificem esse successorem Petri: atqui indoles propria dignitatis in qua succedit, quae decessor habebat, et ipse obtineat: ergo quilibet Romanus Pontifex est sicut Petrus; ergo quilibet infallibilis. Hinc Patres occasione data de quolibet Pontifice affirmant quod sit Petrus, quod in eo Petrus loquatur et vivat. In professione fidei Hormisdæ et Adriani II affirmatur quod in Sede Apostolica semper immaculata est servata religio, et sancta celebrata doctrina; idque quia in ea est soliditas Christianae religionis. Quare id connexum esse necessario cum dignitate eius Sedis affirmatur, ideoque perpetuum fore creditur. At si semper in ea Sede celebratur sancta doctrina, quomodo identidem error subrepat? Quod si gallicana hypothesis observata fuisset mentibus Patrum, inexplicabilia essent pene omnia quae Romanae Sedi attributa sunt. Quomodo enim praxis perpetua existit ad Romanam Sedem quaestiones fidei deferre, ut eius iudicio finirentur? quomodo sententia eius causas finitas esse creditum est? Patres omnes secuti

semper sunt Apostolicae Sedis decreta? et huiusmodi. In hypothesi gallicana haec non nisi sub conditione affirmata fuissent, et praxis conditionata fuisset, nempe si hic Pontifex veram teneat fidem; quod quidem effecisset ut ea praxis nunquam haberet locum. Et re quidem vere si singuli errare possunt, dubitari semper poterit at debet an hic aut ille cum definit, cum confirmat concilia, erret; et idcirco ad normam alterius iudicii exigenda erit sententia Pontificis: huiusmodi autem iudicium nequit esse ipsius Pontificis aut successoris, quia et ipse errare potest: sed erit iudicium Ecclesiae; h. e. non Petrus confirmat fratres, sed confirmatur a fratribus, non pascit sed pascitur, non fundamentum est Ecclesiae, sed fundatur in ea.

Hinc institutio Primatus fuisset in hypothesi gallicana prorsus inepta et indigna Deo. Ad nihil enim confert, nullique usui esse potest, si hic et ille potest desinere esse Petra, confirmator et pastor Ecclesiae. Et sane vel praerogativae Primatus nexae sunt cum dignitate successoris Petri, vel pendent a qualitate personae: si primum, eae debent ex aequo competere omnibus et singulis successoribus: si alterum, nihil est ineptius hac institutione ut potestas necessaria in Ecclesia fiat dependens a qualitatibus personalibus hominis potestate instructi.

Itaque indefectibilis est Romana Sedes quia Primatus Petri perpetuus esse debet: indefectibilis est in fide, quia est Petra fidei: indefectibilis in fide infallibilitate propria a se, quia fides eius est fides Petrae, Confirmatoris, Pastoris et Doctoris: huiusmodi autem indefectibilitas in fide seu infallibilitas a se est propria cuiusque Romani Pontificis, quia unusquisque est successor Petri, Petra Ecclesiae; et secus perverteretur prorsus institutio Christi vanaque redderetur.

THESIS XXXI.

Inepti sunt qui post vaticanam definitionem infallibilitatis Romani Pontificis postulant aliam conciliarem definitionem qua doceamur modum quo decreta fidei a Romano Pontifice edi debent ut habeantur ab omnibus tanquam ex sese irrefragabilia. Falsumque est prorsus quod quidam supponunt, certitudinem fidelium de infallibili definitione Romani Pontificis pendere, veluti ex conditione, a notitia, quam iidem antecedenter habeant mediorum, quibus Romanus Pontifex usus ad actum definitionis se praeparavit.

1. Non omnis voluntas illius qui rex est, vim habet obligandi subditos, sed ea quae ab ipso procedit ut rex est, quae est nempe exercitium regiae auctoritatis. Ut ergo subditi alicui decreto parere